

G. C. num. 23.
~~XII~~

L. D. B. V.
De

E. 22.

22

1693, 16^a

SEMIPLENENSIS PROBATIONIBVS,

Auctoritate

INCLYTI FACTORVM ORDINIS

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI, atq; EXCELLENTISSIMO

DN. NICOL. CHRISTOPHORO
LYNCKERO,

Hæreditario in *Fluhrstädt & Rötshau* /

Jcto Famigeratissimo, Consiliario Saxo-Vinar. Intimo

Eminentissimo, Antecessore, ut & Facultatis Jurid. Scabinatus,

& Curia Provincialis Assessore Primario,

DN. PATRONO ac PROMOTORE

summâ Observantiâ colendo

PRO LICENTIA

Supremos in utroque Jure honores, ac Privilegia

ritè consequendi

In Auditorio Juridico

boris consuetis

AD D. AUGUSTI ANNO M.DC.XCIII.

disputabit

HERMANNUS VORTMAN, Hildes.

JENÆ, Litteris GEORGII HENRICI MÜLLERI.



52





1. N. 7.



Communis est Probationis post
eam, quâ ratione causæ forma-
lis est vel Artificialis, vel Inarti-
ficialis, in Plenam ac Semiple-
nam ab effectu desumpta distin-
ctio. Quæ posterior est gradu-
um non specierum. Datur enim probatio semi-
plena major, est etiam eadem minor, quæ fit per
testem unicum non omni exceptione majorem
vid. Ill. Dn. Præs. in *Anal. ad Synt.* J. C. Struv. *de*
probat. Quum verò tota hæc materia latius sese
diffundat, quàm ut ad paucas disputationis the-
ses redigi queat hinc eam potiùs partem, quâ agi-
tur de probationibus, quas usus semiplenas voca-
re consuevit, non quidem omni numero perfe-
ctam, sed quoad ea maximè, quæ ad institutum
nostrum propiùs facere videbantur, relictis aliis,
pro virili excoluisse sufficiat. Sit itaque bono
cum DEO

CAPUT PRIMUM.

De

Etymologiâ, Existentiâ, & Defini- tione Semiplenæ Probationis.

THESIS I.

Probationem dici à probare facile constat, quod posthabitis aliorum notationibus, non incommodè cum Donello *c. 1. de prob.* deducere videmur à nomine probò, quòd probaturus id agat, ut quod intendit, iudici probum rectumve esse demonstrat. Neque verò eadem ubique hujus vocis est significatio. Quandoque enim idem quod tentare denotat; interdum idem quod laudare, approbare. Hoc loco nihil aliud est, quàm iudici de eo, quod in dubium vocatur, fidem facere. Idem quod in *l. 6. 8. 19. ff. de probat. docere l. 3. 4. C. eod. ostendere. l. 1. C. & l. 19. §. 4. ff. eod. implere, ut. l. 19. C. de probat.* monstrare, dicitur. Vocatur Semiplena, in oppositione ad plenam, & perfectam, quasi minus plena, sive imperfecta.

THESIS II.

Hic statim occurrit quæstio: num detur Semiplena probatio? Quæ quidem de Jure Canonico *c. ult. x. de Jurejur.* & moribus, quibus illam in judiciis passim receptam esse testatur Anton. Fab. *9. error. pragmat. 1.* nullum habet dubium; non æquè tamen de Jure Civili expedita est. Nobis affirmativa placet, propter

l. 31.

l. 31. ff. de Jurej. ubi causa requiritur dubia, ad hoc, ut iudex parti juramentum suppletorium deferre possit. Illa verò non est alia, nisi quæ probationis inopiã laborat, *l. 3. C. eod.* Quæ non potest intelligi de eo casu, quo nullæ omninò adsunt probationes, actore enim non probante, simpliciter reus, etiamsi nihil præstiterit, absolvendus est *l. 4. C. de edend.* sc. distingui debet defectus ab inopiã, hæc est ubi quædam, sed ancipites, ille, quando nullæ omninò suppetunt probationes. vid. Perez, *ad Cod. de Jurej. n. 23.* Neque etiam tùm demùm causam reddi dubiam cum Donello putamus, quando ab utrâque parte plenè, & æqualiter, probatum est, quin potius hoc casu nihil in effectu videtur probatum, Probatio enim per contrariam probationem eliditur. *l. 18. C. de Probat.* Et si vel maximè hac ratione causa dicenda sit dubia, neutri tamen in pari causâ juramentum suppletorium deferendum, sed reus potius absolvendus videtur per *l. 125. ff. de R. I.* Restat itaque ut dicamus causam fieri dubiam per semiplenam probationem, & de hac intelligendam esse probationis inopiam in *d. l. 3. C. de Jurejur.* Neque obstant, quæ in contrarium ab Anton. Fabr. *d. l. 5. & Donello c. 11. de Jurej.* afferuntur. (1. Quod semiplena probatio non respondeat modis in Jure proditis, siquidem illi respiciunt plenam probationem, ita ut quidem hæc ipsa non aliã, nisi illis convenienti ratione fieri possit, inde tamen minimè sequitur, illum, qui veris probandi modis hætenus usus est, postmodum verò pro parte tantum probavit, nihil omninò probasse. (2. Quod in *l. 9. §. 1. C. de testib.* unius testis responsio planè rejiciatur. Respondet Bachovius *vol. 2. Diss. 5. tb. 7. lit. A.* unius quidem testimonium non sufficere ad victoriam, vel absolutionem in judicio, benè tamen ad inducendam

semiplenam probationem. Quo ipso tamen non remouetur quod ex uoculâ omnino in *d. l.* ad huc superest dubium. Rectius proinde sequimur illos, qui distinguunt inter modum probandi, & ipsam probationem factam: ille, quô quis ab initio uno teste ad probandum utitur, in *d. l.* rejicitur, non item hæc, eo casu quo quis duos produxit testes, quorum unus pro ipso deposuit, alter uero se rei notitiam habere negavit; etsi enim uel maximè plenè non probauerit, neque tamen etiam omnino nihil, quemadmodum illi uolunt, probasse dici potest. Instant adhuc alii, semiplenæ probationis in Jure nullam fieri mentionem. Concedimus quoad nomen, minimè v. quoad rem ipsam. Non minùs autem ex legibus dicitur, quod ex sententiâ, quàm quod ex uerbis illarum est *l. 6. §. 1. ff. de V. S.* Denique uigent, quod hac ratione unicus testis in effectu plenè probet, eò quod iuramentum suppletorium nunquam defuturum sit. Sed utrumque falsum est, neque enim in quâlibet causâ, neque etiam omnibus indistinctè iuramentum hoc deferri potest, ut infra *c. 3. & 4.* ostendimus. Et si uel hoc etiam detur, tamen adhuc unicus testis non plus quàm semiplenè probat, & quod probationi deest, per iuramentum suppletur.

THESIS III.

Definitur Semiplena Probatio, quod sit ejus, quod in controversiam uocatur, iudici facta demonstratio; unde ipsi fides aliqua fieri solet, sed non tanta, ut inde ad sententiam ferendam moveri possit *c. 2. x. de Probat.* Diximus fieri iudici, tum ut excludatur quæuis alia Probatio, tum ut ostendatur, quod non fiat aduersario. *l. 12. ff. de Probat.* Per reliqua distinguitur à plena probatione, per quam iudex plenè & sufficienter informatur.

matur. Dividitur in Majorem, & Minorem, quæ levem tantum, & modicam præsumtionem inducit Wesenbec. de Probat. n. 4.

CAPUT SECUNDUM.

De

Speciebus Semiplenæ Probationis.

THESIS I.

PRæmissis generalibus, nunc ordo nos ducit ad ipsas species hujus probationis. Quænam verò illæ sint certò definiri non posse, sed judicis arbitrio committendum esse, rectissimè statuit Bachov. ad Treutler. vol. 2. disp. 4. tb. 2. lit. C. Interim à Dd. quinque potissimum constitui solent, quas nunc ordine persequi lubet.

THESIS II.

PRima itaque species est Scriptura privata, quæ privaticujusque manu conscribitur. Dicitur & instrumentum privatum l. 5. C. de Probat. inde dubium non est, quin per instrumenta certot rmino producenda etiam intelligatur scriptura privata, cum non minùs hæc quoque causam instruat Berlich. p. 1. concl. 43. n. 6. Oponitur instrumento publico, quod auctoritate publicâ conficitur. Notandum verò, quòd scriptura privata non pro scribente l. 5. 6. & 7. C. de prob. sed contra eum maximè fidem faciat, l. 25. §. ult. ff. eod. & quidem plenè
fire-

si recognoscatur, sin minus, aliis adjuvanda est ad minicu-
 lis, & quidem vel testibus *l. ii. C. qui potior. in pignor.* vel
 his deficientibus, literarum denique comparatione pro-
 bari debet *Nov. 73. c. 7. §. 3.* quippe quæ ultimum indagan-
 dæ veritatis subsidium est. Ast cum hæc ipsa sine testi-
 bus vix firmam queat facere fidem, exceptis casibus in
Nov. 73. c. 9. eò quod scriptura ætatis, valetudinis, cala-
 mi, & atramenti vitio mutari possit, atque hinc non lem-
 per eandem retinere similitudinem vid. *Pelz. process. jud.*
tit. 31. n. 59. imò quia dantur, qui norunt exactè alterius
 manum imitari *Coler. p. 3. de proc. execut. c. 1. n. 96.* hinc se-
 miplenè tantùm probat *Berlich. 1. concl. 36. n. 94.* *Umm.*
disp. ad process. judic. 17. n. 27. & *Dd. communiter*, quamvis
Menoch. l. 2. arbitr. qu. cent. 2. cas. 114. n. 7. iudicis arbitrio
 relinquat, quantum hoc modo probatum sit, Admittitur
 verò isthæc comparatio in quâlibet scripturâ privatâ,
 per *Nov. 73. c. 2.* Neque obstat *d. Nov. c. 9.* quippe quæ a-
 git de certis solummodò casibus, quibus etiam plena
 probatio ex solâ comparatione desumi potest, minimè
 verò quasi extra illos dicta collatio fieri non possit, ad
 hoc ut aliqualem saltim faciat fidem. Ex quânam v.
 scripturâ peti debeat, indicat *l. 20. C. de fid. Instr. junct.*
Nov. 49. c. 2. ibique *Cujac.* Hæc de Jure Civili; Jure
 Saxonico autem huic comparationi non esse locum, eò
 quod illo quilibet scripturam vel recognoscere, vel jura-
 to diffiteri debeat, tradit *Berlich. 1. concl. 44. n. 42.*

THESIS III.

Sunt verò variæ scripturæ privatæ species, ad quas
 Cr. referri solent libri rationum, Register/ Rechnungsbücher/ accepta & credita continentes. Differunt à
 registris, in quæ acta judicialia conferri solent, suntque
 in tri-

in triplici discrimine; conficiuntur enim vel ratione officii, quales olim à Nummulariis, & Argentariis fieri solebant *l. 9. §. 2. ff. de edend.* qui plenam merebantur fidem, *d. l.* vel ratione administrationis, quò spectant qui à Tutoribus, & Curatoribus conscribuntur *l. 1. §. 3. de tut. & rat. distrab.* contraque ipsos plenè probant, vel denique ad cuiusque arbitrium, qui pro scribente regulariter fidem non faciunt, nisi eò casu, quò is, contra quem producitur ejusmodi liber, velit acceptare ea, quæ pro se faciunt, tunc non minùs etiam alia, quæ contra se faciunt, agnoscere tenetur. *Gail. 2. obs. 20. n. 4.* Sed an pro scribentis herede probent, qu? Sunt qui semiplenè volunt, modò scribens fuerit ein *Husbundt und Kern eines frommen Manns.* At hâc ratione plus heredi, quàm ipsi defuncto tribueretur, vid. *Umm. Disp. 17. n. 19. Gail. 2. obs. 43.* plenam ipsis confert fidem, mortuo scribente, eò quod mors vim juramenti habeat. Sed obstat ei *l. 6. C. de probat.* Ad libros rationum pertinent etiam *Erb-Bücher/Erb-Register/* qui quatenùs probent, vid. *Berlich, p. 3. dec. 282.* item libri Mercatorum.

THESIS IV.

QUOD in specie libros Mercatorum attinet, etsi quidem illi de jure communi non majorem, quàm alii rationum libri pro scribente fidem faciant per *l. 5. §. 7. C. de Probat.* moribus tamen semiplenè probant, modò data, & accepta contineant, & producens fuerit integræ famæ & opinionis, atque rationes propriâ manæ conscripserit, causâ obligationis simul expressâ *l. 5. C. de exactor. tribut.* vid. *Carpzov. p. 1. c. 17. df. 35. 36. 37. Gail. 2. obs. 20. n. 2. seqq. Perez. ad Cod. de fid. Instr. n. 5.* Quamvis, quòd de manu propriâ dicitur, vix ex *l. 13. C. de*

B

11018

non num. pec. probari possit, vid. Carpz. p. 1. c. 17. def. 35.
n. 8. Quin imò quod in foro Mercatorum, concurrenti-
bus dictis circumstantiis, plenè probent, testatur Gail.
2. obs. 20. n. 5. An statutò vel consuetudine caveri possit,
ut ejusmodi libris plena habeatur fides qu? Affirm.
quia sic publicà nituntur auctoritate, Gail. d. obs. n. 6. ne-
que hoc à ratione simpliciter alienum est, ceu putavit
Treutler. qui propterea rectè notatur à Bachovio vol.
2. disp. 4. tb. 2. si modò antè dicta requisita concu-
rant. Quamvis sit contra rationem Juris Romani. Diff.
Umm. disp. 17. n. 19. qui statutò vel consuetudine ipsis
sempiennem saltem fidem deferri posse contendit.
Quid si morte confirmati sunt? Vult hoc casu Mev:
Jur. Lubecc. l. 5. tit. 6. art. 4. n. 30. eos plenè probare, eò
quod mors habeatur pro juramento. Rectiùs tamen
negatur hoc, cum duo singularia circa eandem rem
admitti non soleant l. 1. C. de dot. promiss. Tiraquell. ad
l. 8. C. de revoc. donat. adeòque heredibus Mercatoris
juramentum credulitatis potiùs injungendum venit
Ill. Dn. Præf. in Anal. ad Struv. Synt. Jur. Civ. de fid. Instr.
Illud autem notandum libros Mercatorum non aliter,
quàm in iis, quæ ad artis exercitium pertinent, proba-
re l. 3. §. 2. ff. Naut. caup. stabul. &c. vid. Gail. 2. obs. 20. n. 8.
Carpz. 1. c. 17. df. 37. Atque hinc est, quod causa debi-
ti necessariò exprimi debeat in libris Mercatorum.
Summa quoque debet esse modica, Klock. 2. conf. 75.
n. 10. De casu, quo duo Mercatores inter se discre-
pant, & uterque ad librum suum provocat, utri ipso-
rum juramentum deferri debeat, vid. Brunnemann.
3. dec. 4.

THE-

THESIS V.

Scripturæ privatæ species porrò (2. sunt Chirographum, Aposta, Antaposta, de quibus idem tenendum, quod ante de scripturâ privatâ in genere diximus. Huc etiam referri potest epistola, quæ quidem contra scribentem, si recognita fuerit, plenè probat. Quid si ab eo negata, & per comparationem literas confirmata fuerit? Sunt qui & hoc casu illam plenè probare volunt *Myns. ad rubr. x. de probat. num. 54. König. in process. c. 99.* Verius tamen sentire videntur, qui semiplenam saltim hinc induci fidem asserunt, *Menoch. l. 2. arbitr. qu. cent. 2. cas. 114. n. 24. Ruland. de Commissar. p. 2. lib. 5. c. 38. n. 1. seqq.* Quamvis & hinc cum *Covarruv. l. 1. pract. quest. 4. c. 22. n. 7.* arbitrium iudicis admittamus. Quod si neque testibus, neque comparatione probari possit, vel scribentis nomen, non item cognomen contineat, præsumtionem tantum inducit, *Menoch. l. 2. arbitr. quest. cent. 1. cas. 94. num. 17.* Atque hæc maximè obtinent, si is, cui epistola mittitur, non contradixerit, vel si illa revocata non fuerit, *vid. Umm. disp. 17. tb. 24.* Pro Autore epistola probat, quando adversarius eam recepit, & hinc *Menoch. cas. 21.* cautelæ loco creditori suggerit, ut debitum per epistolam à debitore exigat, ad hoc si non contradixerit, ut id ipsum tacitè confiteri videatur, *conf. Berlich. l. concl. 36. n. 52.*

THESIS VI.

Hæc verò quæ de scripturâ privatâ diximus, ita se habent, si hæc ipsa in originali, uti loqui solent, producat, Exemplum enim nihil probat *l. 2. ff. de*

ff. de fid. Instr. c. 1. x. eod. & nequidem Principis aucto-
ritate, nisi scriptura privata in iudicio semel produ-
cta, atque jussu iudicis, vel ab Actuario copiata, & ad
acta registrata fuerit, quo casu plenè, secus si à Notario
publico vidimata sit, tunc enim præsumtivè saltim, vel
semiplenè probat, Berlich. I. *dec.* 100. Exemplum In-
strumenti publici semiplenam facere fidem, modo pro-
ducens se originale perdidisse probaverit, tradit Berlich.
d. concl. n. 100.

THESIS VII.

Progredimur nunc ad secundam semipl. Probatio-
nis speciem, quæ est testis unicus Carpz. 1. 23. 4. &
passim Dd. *ad l. 3. C. de Jurej.* cum enim duo testes
plenè probent *l. 12. ff. de testib. & l. 9. §. 1. C. eod.* non
potest non unicus testis semiplenè probare, pariter ac
intestamento quatuor testes ad semiplenam ejus pro-
bationem sufficiunt, ap. Rosenth. 12. *de feud. concl.* 19. n. 28.
quamvis quis cum Salicet. *ad l. 3. C. de Jurej.* dubitare
possit quoad testamenta, aliosque actus, in quibus
plures testes solennitatis causâ requiruntur, ita, ut si
unus deficiat, totus actus videatur nullus. Ut verò
unicus testis semiplenè probeat, requiritur ut sit (i.
omni exceptione major tam ratione personæ, hinc ne-
que domesticus, neq; affinis &c. testimonium ferre pos-
sunt, durante sc. affinitate, istâ enim solutâ, nil obstat,
quo minùs pro teste omni exceptione majore habeat-
ur, Bald. *in l. 3. §. affinit. ff. de postuland.* plenius hæc
repeti possunt ex *tit. ff. de testib.* Cum primis autem
habilitas testis inspicere debet tempore examinis, & de-
positionis *l. 2. & 3. ff. de testib.* quàm ratione testimo-
nii, ne scil. contra illud stet præsumtio in contrarium
Carpz.

Carpzov. 1. 23. 5. Hinc si ab auctore duo producuntur testes, quorum alter dicit, se vidisse, vel audivisse id, quod per visum, vel auditum probari debet, in eamque rem nominat contestem, qui autem negat se tunc adfuisse, aut fatetur quidem, sed negat se audivisse, vel vidisse, quò casu omninò testimonium suum suspectum facit, qui se in conteste fundavit, quem non habet, hinc sententia ita concipi solet, uti refert Carpzov. d. l. Ob nun wohl ihr als Kläger eure Klage durch einen Zeugen erwiesen / und bey gebracht habt / im welchem Fall die probatio pro semiplenâ zuachten / und dahero wann solcher Zeuge omni exceptione major, und Gezeugniß ohne Verdacht vorbracht worden / mit dem juramento in supplementum zubestärcken ist etc. (2. ut plures testes haberi non possint. (3. ut dicti sui rationem reddat, etiam non interrogatus, uti vult Baldus in c. sacram. de consuet. rect. feud. in usib. feudor. & alii quos citat Marant. p. 2. pr. act. 6. n. 14. (4. ut super ipso facto deponat. cont. Umm. disp. ad proc. jud. 18. n. 2. Notandum verò hæc non obtinere, quando lege, vel statutò certus testium numerus requiritur, quò casu unus semiplenè non probat, Bartol. l. 2. n. fin. C. de honor. poss. sec. tab. Mascard. concl. 956. n. 16. & 19. Hactenus dictis non obstat l. 9. §. 1. C. de testib. ad quam supra præc. cap. responsum est, scil. confundi hîc modum probandi, cum ipsâ probatione factâ. Neque admittimus exceptionem, quam nonnulli faciunt in Nobile, quasi hoc casu unius testimonium ab initio valeat, ad hoc ut semiplenè probeat. Nullius enim personæ ratio in d. l. habetur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat; multo minùs plenè probabitur ex sententiâ Gail. 2. obs. 66. n. 11.

THESIS IIX.

PRobè autem distinguere oportet testem unicum à teste singulari, illum semiplenè probare diximus, hic nihil omninò probat. Singularitatem intelligimus hic obstativam, uti Dd. loqui solent, quando testes sibi ipsis directò contradicunt, seu diversa deponunt, quæ non possunt simul esse vera, quæ testimonium reddit nullum, distinguenda à diversificativâ, quando testes deponunt de diversis factis, vel actibus, vel etiam de alio loco, atque tempore, quæ probationem non impedit, modò contradictionem non involvat; neque enim locus, & tempus sunt de substantiâ actus, & ad articulum causæ principalis necessaria: secus si hæc ipsa sint de essentiâ actus, quò casu cùm testes tempore, & loco non conveniant, atque sic de veritate causæ constare non possit, omninò pro singularibus habendi sunt *c. cum causam x. de testib. c. licet x. de probat.* Differt etiam à Cumulativâ, quando quidem testes deponunt de diversis actibus, sed eundem finem respicientibus, quæ in probandâ possessione, jurisdictione, vel servitute, it: in materiâ Decimarum admittitur, ad probandum enim integrale, sufficit probare ejus partes per testes singulares Gail. 2. *obs.* 66. n. 11. 12. Struv. *Ex.* 28. *rb.* 48. prolixè hanc materiam persecuti sunt. Berlich. *p. I. concl.* 36. n. 126. 127. 128. *seqq.* Menoch. *conf.* 701. n. 26. Non sunt verò testes singulares, quorum dicta commodâ interpretatione conciliari possunt Umm. *disp.* 16. *rb.* 101. Quodsi vero unus extestibus singularibus præcæteris vitæ honestate se commendet, hoc casu volunt judicem parti deferre posse juramentum suppletorium, quamvis hoc alii arbitrio

bitrio iudicis relinquant, vid. Mascard. *de probat. concl.* 956. n. 20. Cautelæ loco hîc observandum est, si quis metuat testes fore singulares, obstativam tuentes, ut tunc unum ex illis producat, atque ad juramentum suppletorium sese offerat Ill. Dn. Præf. *in Anal. ad Struv. synt. Jur. Civ. de testib.*

THESIS IX.

Fama, cùm instar publici testimonii, rei de quâ quæritur, fidem quidem augeat, non tamen in vicem justæ probationis cedat, hinc non immeritò etiam hæc inter species semipl. probationis à Dd. refertur. Dicitur germanicè ein gemein Geschrey / eine gemeine Rede. Ut verò semiplenè probet, hæc potissimum requiruntur (1. ut bono fundetur initio; hinc non incipere debet ab eo, qui eam pro se allegat, atque Viris honestis suam debeat originem, c. quilibet x. de accusat. nisi quòd in causâ turpi etiam turpis persona famæ auctor esse possit arg. l. 3. C. de naufrag: & si quæ sunt alia, quæ prolixius recenset Jason. ad l. 31. ff. de Jurej. (2. ut sit constans, secùs enim non probat, sed præsumtionem saltim inducit l. ult. ff. de hered. instit. (3. ut probetur sufficienter, quod fit per duos testes honestæ vitæ, & probatæ fidei, Farinac. qu. 49. n. 201. quamvis etiam unum testem hîc admitti velit Jason. ad l. 31. ff. de Jurej. secùs ac Farinac. qui testem singularem suspectum habet, qu. 27. num. 209. Sunt qui hîc dissentiunt, atque famam nihil probare, sed alias solum probationes adjuvare putant, alii ex illâ saltim iudicium nasci, & sic onus probandi in adversarium transferri volunt, sed hoc vel inde admitti non potest, quum

quum adversario hoc antè 'non incumbat,' quàm si
alter intentionem suam probaverit. Umm. *disp.* 18.
num. 13.

THESIS X.

Quartam porrò hujus probationis speciem ali-
quando constituit fuga. Sic quando famulus fur-
tumfecit, atq; insalutatò hospite abiit, fuga contra
ipsum semiplenè probat secundum Farinac. *qu.* 48.
num. 20. *seqq.* atque Gailio hæc ipsa pro sufficienti ad
torturam indicio habetur 2. *obs.* 109. *n.* 9. Sed quid de
fugâ Officialis tempore syndicatus factâ dicendum?
Nos sequimur illos, qui eam loco semipl. probationis
habent, per Nov. 128. *c.* 23. Non obstante *l.* 3. *C. de*
Affessor. quippe quæ non de ipsis officialibus, sed de
tertio, qui personas ipsorum subtraxerit, loquitur,
quod confirmat *l.* 3. *C. de exactor. tribut.* Quod contra
reum, qui, re ipsius sequestratâ, iudicii protelandi
causâ aufugit, debitum semiplenè probatum sit, tenet.
Schrader. *ad l.* 31. *ff. de Jurej.* *n.* 281. Notandum verò
hîc est, quod ille etiam dicatur fugere, qui se præparat
ad fugam Boer. *dec.* 215. *num.* 2. quippe idem operatur
fuga quæ est in promptu, quàm quæ est in effectu.
Coler. *p.* 1. *de proc. exec.* 2. *n.* 127. Quibus casibus fuga
plenè probet tradit Umm. *disp.* 18. *n.* 9. Jason. *ad l.* 31.
ff. de Jurej. *n.* 168. *seqq.* aliquando saltim præsumtio-
nem facit, & sic quando indicium sufficiens sit ad tor-
turam vid. Umm. *c. l.* *n.* 11. & Gail. 2. *obs.* 109.

THESIS XI.

Hisce commemoratis speciebus accenseri solet ex
communi Dd. sententiâ quinta species, quæ desu-
mitur

mitur ab extrajudiciali partis confessione per *c. fin. x. de success. ab intest.* & *l. 58. ff. de edil. edict.* conf. Bartol. ad *l. 31. ff. de iurej.* Requiritur autem ut illa fiat (1. coram duobus testibus. *d. c. ult.* Hi verò sive rogati sint, quod præcité requirit Donell. in *l. 13. C. de non num. pec. n. 3.* per Nov. 90. *c. 1.* sive non, nil interesse videtur, Marant. *de confess. n. 2.* Umm. *disp. 13. n. 58.* atque cum eodem *d. Novell.* non simpliciter, sed secundum quid, juxta illos terminos, de quibus ibi agitur, intelligendam statuimus. (2. causâ debiti expresâ, *l. 13. C. de non num. pec.* sine hâc enim etiam si fiat coram duobus testibus, actor ab onere probandi non relevatur, per *c. si cautio x. de fide Instrum.* non admittâ distinctione inter confessionem liberatoriam, & obligatoriam, in utrâque enim causam exprimendam putamus, secus enim de debito non satis constaret; Scilicet non sufficit, ut quis fateatur, se alicui centum debere, sed addere debet causam debiti v. g. emti, vel aliam. Non verò necessarium est eam specificè determinare, sive confiteri de debito ex emto fundo v. g. Tusculano, tutiùs tamen id ipsum esse affirmat. Umm. *disp. 13. n. 59.* Aliter verò se res habet cum confessione debiti judiciali, quippe quæ etiam sine causâ probat, & confitentem obligat Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 345. n. 16.* H. Pistor *obs. 39. n. 7.* propter auctoritatem, & præsentiam Magistratus, quæ errorem, & doli suspicionem excludit. Quin imò consuetudine introduci posse, ut instrumentis etiam absque expressione causæ credatur, contendit Pistor. *d. obs. n. 4.* Nec referre putamus, utrùm pars adversa absens, an verò præsens fuerit, factâ confessione, non attentâ distinctione, quam Marant. *de confess. n. 12.* inter obligatoriam, atque liberatoriam facit confessionem, dicens hanc

C

etiam

etiam parte alterâ absente, illam verò non nisi parte
præsente factam semiplenè probare. Et si vel maximè
vera sit hæc ipsa sententia, multis modis tamen exceptio-
nem patitur, veluti (1. in causâ piâ (2. si confessio fuerit
geminata (3. si forsan alius nomine absentis confessio-
nem acceperit, & si quæ sunt alia, quæ notavit
Umm. *disp. ad proc. jud.* 13. n. 58. Aliter sentit Ziegler.
ad Jus Canon. l. 3. tit. 14. §. 2. qui putat confessionem
obligatoriam, parte alterâ præsente, & acceptante fa-
ctam plenè probare, liberatoriam verò etiam parte ab-
sente, per l. 40. ff. de Pact. At dubitari potest an sola
partis præsentia ad plenam sufficiat probationem, neque
etiam acceptatio ad hanc quicquam conferre potest,
quæ nequidem necessaria est, juxta Marant. de confess.
n. 2. Neque quod de liberatoriâ dicitur ex d. l. 40. proba-
ri potest. vid. Zoes. ad tit. ff. de confess. n. 36. Quoad dictam
verò confessionem sive scripturâ sive vivâ voce fiat nil
interesse videtur, per l. 13. C. de non numer. pec. id verò
maximè, utrùm inter vivos, an verò in ultimâ volun-
tate sit facta. De illâ hætenus diximus; hæc vero testa-
tori non præjudicat, & si vel maximè in præsentiâ partis
fiat, Bart. l. 13. de non num. pec. quatenus contra heredes
probet. vid. Umm. *disp.* 13. n. 61. Ut ut itaq; regulariter hæc
confessio contra confitentem probet, exceptio tamen
est in mutuo, & dote per l. 14. C. de non num. pec. & l. 2. C.
de dote caut. nisi post aliquod temporis spatium, de quo
passim Dd. ad d. l. 14. Quamvis verò ea, quæ hætenus
de semiplenâ probatione confessionis extrajudicialis
diximus, communis sit Dd. sententia teste Struv. Ex.
44. num. 25. §. 7. C. à quâ in judicando, & consultando
non facilè recedendum monet Jason. ad l. 31. ff. de Jurej.
attamen si illa ad regulas Juris examinetur, dictam
confes-

confessionem plenè potius probare statuit Donell. *ad d. l. 13. C. de non num. pec.* quem secutus est Umm. *disp. 18. n. 17.* idque nec sine ratione, modò dicta requisita concurrant, quùm enim duo testes omni exceptione majores plenam faciant fidem, *l. 12. ff. de testib.* non est cur hìc diversum statuamus. Hæc pro ratione instituti nostri de speciebus semipl. Probat. dixisse sufficiat. Latissimè verò illas persecutus est præter alios Jason *ad l. 31. ff. de Jurej.* confer. Berlich. *p. 1. concl. 36. n. 94. seqq.*

CAPUT TERTIUM.

De

Objecto, sive Causis, in quibus Semiplena probatio locum habet, vel non.

THESIS I.



Admittitur Semiplena probatio in omnibus causis, quæ non sunt magni præjudicii per *l. 3. C. de Jurej.* Hinc sibi locum non vendicat in causis civilibus arduis, sive magnis, ob perjurii suspicionem, ratione magni commodi, Gail. *l. 1. obs. 108. n. II.* it: quod causis criminalibus æquiparentur *c. 1. §. illum autem spoliatum de restit. spol. in 6to.* Cùm verò in his non admittatur semiplena probatio per *l. ult. C. de probat.* sequitur quod nec in illis, nisi de solâ possessione agatur, Berlich. *1. concl. 54. num. 4.* hujus enim

C 2

respe-

respectu, res, quæ per se ardua est, fit parva, & levioris præjudicii, *Umm. disp. 14. n. 8.* quod verum putamus, si processus possessionis summarius est, secus si ordinarius, cum sic etiam magni præjudicii sit, *Eibig. in process. p. 2. n. 2. sect. 3.* vel (2. quando non super causâ ipsâ principali magnâ, sed super aliquo incidenti quæstio movetur, quô jus causæ principalis non tollitur. *Berlich. c. l.* Non placet verò multis hîc disquirere, quænam sit causa magna, sive ardua? Putamus enim cum *Menoch. cas. 72. n. 10.* illud arbitrio judicis, habitâ rerum, ac personarum ratione, relinquendum potius, quàm certum quid cum aliis hîc determinandum esse, qui illam arduam volunt, quæ 100. aureos excedit, inter rusticos verò eam, quæ est 50. ducatorum. Causis arduis etiam accenferi solent causæ feudales, teste *Rosenthal. concl. 14. n. 99.* Quamvis tamen in his, uti diximus, semiplenè non probetur, non excludunt tamen illas probationes, quibus plùs quam semiplenè probatum est. *Gail. 1. obs. 108. n. 11. Rosenth. dict. concl.*

THESIS II.

Hinc multò minùs in causis famosis, in quibus de famâ, atq; existimatione hominis agitur, admitti debet semiplena probatio, quoniam illæ omni causâ pecuniariâ graviores sunt *l. 104. ff. de R. I.* quin imò famæ atque vitæ par habetur ratio *l. 11. ff. de manumiss. vind.* Non obst: (1. *l. 3. C. de Jurej.* quæ cum exceptionem admittat in causis civilibus arduis, quidni etiam in contractibus, ex quibus condemnatum infamia sequitur? cum major in his, quàm in illis sit ratio. (2. *l. 6. §. 4. ff. de his qui not. infam.* (3. *c. ult. x. de Jurej.* in quibus testibus de juramento purgatorio agitur: Nisi hoc superesse dubium

bium videatur, quod *in d. c. ult.* juramentum reo delatum actori non possit referri, ratio autem præsupponat delationem. Sed commodè hoc etiam applicamus ad juramentum necessarium, cum neque illud referri possit, sed necessario à reo præstandum sit. Plus negotii facessere videtur *l. 9. §. 2. ff. de Jurj.* Sed resp. agi *in d. l.* de illo casu, quo actor contra reum, cui juramentum necessarium antè delatum, & ab ipso etiam præstitum erat, denuò priorem actionem, ob reperta nova instrumenta intentavit, ex quâ, tanquam famosâ, reus condemnatus rectè in famiâ notatur, non obstante quod *Gloss. d. text. de juramento suppletorio accipiendum velit. vid. Bexlich. p. 1. concl. 54.*

THESIS III.

Sed quid de causâ matrimoniali dicendum? Neque etiam hîc agnoscenda est semiplena probatio, cum non minùs & illa gravis, atque ardua dicatur *c. ult. de procurat. in bro.* sive contra matrimonium agatur, ex communi Dd. sententiâ per *c. mulieris x. de testib. ne scil. in partium sit potestate, ut discedant à Vinculo matrimonii per c. fin. x. de transactionib. sive pro illo, Brunnem. process. Jur. Civ. c. 23. Carpz. l. 23. 10.* qui ita aliquando sententionatum refert: *Hat N. N. Euch wegen versprochenen Ehe belanget / so ihr aber nicht geständig seyd / so ist Klägerin ihr fürgeben / daß ihr nehml. die Ehe von euch versprochen worden / zu rechte zuerweisen / und bey zu bringen schuldig. Und mag Sie mit der anerbohtenen Eydesleistung / oder auch uff allen Fall mit dem juramento suppletorio nach Gelegenheit dieser Sachen nicht zugelassen werden. V. X. W.* Quin tamen juramento purgatorio locus sit, dubium non est, *Carpz. d. l.* Et hoc quidem regulariter ita se

habet, Brunnem. 5. dec. 89. interdum enim ex certis circumstantiis admittitur juramentum suppletorium juxta Carpz. 3. resp. 57. unde Gail. 2. obs. 94. eò casu, quò quis talem sibi in matrimonium, quæ vel suâ conditione inferior, vel sibi æqualis est, exposcit, ipsi semiplenè probanti juramentum hoc deferendum putat, modò sit Vir honestus, atque probatæ fidei, atque hanc sententiam ob favorem matrimonii receptam testatur. Quod si verò plus quàm semiplenè probatum est, locus est juramento suppletorio, Berlich. p. 1. concl. 54. n. 16. Umm. disp. 14. n. 90.

THESIS IV.

Hinc facilè constat, quid de causis criminalibus judicandum sit, quùm enim illæ gravissimæ omnium sint, inde etiam plenissimæ, ac luce meridianâ clariores in illis requiruntur probationes, l. fin. C. de probat. modò agatur de reo condemnando, nam ad torturam quævis semiplena probatio sufficit Ill. Dn. Præf. ad Struv. S. J. C. de questionib. Atque illud certum est de gravioribus, & pœnam corporis afflictivam inferentibus Carpz. p. 1. c. 23. def. II. Sed quid si causa criminalis civiliter intentetur? nequetùm semiplenam probationem sufficere putat Berlich. p. 1. concl. 54. n. 6. quod verum, si magni est præjudicii Umm. disp. 14. ad proc. judic. n. 89. Quod si tamen plus quam semiplenè probatum, juramento suppletorio locus est, Umm. c. l. Quando verò ad pœnam pecuniariam agitur, admittit semiplenam probationem Carpzov. d. const. sed neque hoc indistinctè, sed eò tantùm casu, quò condemnatum infamia non sequitur, asserendum videtur. conf. Menoch, A. 2. cas. 464. n. 6.

THE-

THESIS V.

PRæter illas, de quibus modò diximus, sunt complures adhuc aliæ causæ, in quibus semiplena probatio locum non habet, veluti spirituales, beneficiales Monachatus, usurariæ, feudales, quæ plerùmq; majoris momenti esse solent, teste Rosenth. *concl.* 14. n. 99. item quando causalis est, cujus plures notitiam habere possunt, e.g. si consuetudo, vel etiam communis loquendi usus probari debet, Hillig. ad Donell. l. 24. c. 19. Bartol. ad l. 31. ff. de Jurejur. ratio, quia hîc nulla probationis inopia, ob quam demùm juramentum suppletorium deferri solet. l. 3. C. de jurejur. Denique hæc probatio non attenditur, quando lex, vel statutum plenam exigit, Mascard. *de prob.* *concl.* 956. num. 44. vel quando lege, statutòve certus testimonium numerus requiritur, non potest per unum semiplenè probari. Idem *d. concl.* num. 16. Item quandò lex, vel statutum liquidas requirit probationes Bald. *ad l. ult. C. de sec. nupr.* de quibus ac aliis latius videri potest Berlich. p. 1. *concl.* 54.

CAPUT QUARTUM

idque

ULTIMUM.

De

Effectu Semiplenæ Probationis.

THESIS

THESIS I.

Sequitur denique effectus semiplenæ probationis, qui duplex potissimum est (1. ut locum faciat juramento suppletorio, *l. 3. C. de Jurejur. l. 31. ff. eod.* (2. ut conjuncta cum aliis minùs plenis probationibus plenam efficiat probationem, scil. quando de causis civilibus, non item criminalibus agitur, vid. *Umm. disp. 15. n. 22.* latiùs Berlich. 3. *concl. 36. num. 126. seqq.*

THESIS II.

Postquam itaque semiplenè probatum est, iudex in supplementum probationis defert juramentum suppletorium, quò ipsò differt à juramento judiciali, quod pars parti defert. Ille sive ordinarius, sive delegatus sit, nil interest, imò quin illud etiam arbitro juris æquè ac compromissario deferre liceat, dubium non est per *l. 1. ff. qui arbitr. rec.* Antè vero, quàm iudex deferat hoc juramentum, omnes probè circumstantias considerare debet, tam ratione causæ, utrùm illa sit criminalis, an verò civilis, & hæc iterùm nùm ardua, an verò modica, quàm ratione personæ, cui illud defertur, nùm etiam semiplenè probaverit, & si vel hoc, an sit persona talis, quæ ad juramentum admitti queat, & hoc est quod in *l. 3. C. de Jurej.* dicitur, quòd, causâ cognitâ, res à iudice decidi debeat.

THESIS III.

Defertur autem hoc juramentum aëtori, vel reo semiplenè probanti. Si verò utrimque æqualiter probatum est, verius est arbitrio iudicis relinqui, cui

cui illud deferre velit, actori, an reo, inspectâ tamen
 utriusque qualitate, & dignitate, hinc Christiano, potius
 quam Judæo, masculino, quam foeminae, quippe quæ va-
 ria semper & mutabilis c. 10. x. de V. S. juramentum
 hocce deferat Berlich. i. concl. 53. Sin autem & hic nulla
 differentia, sunt quidem qui gratificationi locum faci-
 unt, sed absque fundamento, quin potius, cum actor in
 effectu nihil probavit, (hujus enim probatio per contra-
 riam rei probationem elisa est l. 18. C. de probat.) reus
 absolvi debet per l. 6. C. edend. vel si causa est dubia, reo ta-
 men potius juramentum purgatorium deferendum est,
 quia in dubio rei partes favorabiliores sunt. l. 125. ff. de
 R. I. l. 47. ff. de Jurej. Sed quid si actor plenè, reus verò
 semiplenè probavit? Actori deferendum videtur jura-
 mentum suppletorium; etsi enim vel maximè actoris
 probatio ex parte per semiplenam rei probationem in-
 firmata dicatur, tamen adhuc pro actore superest semi-
 plena probatio. vid. Berlich. i. concl. 53. n. 30. Inprimis
 verò requiritur ut sit persona fide digna, cui juramen-
 tum hoc defertur, quo ipso excluditur, infamis, usura-
 rius, it: ille, qui semel pejeravit 22. q. 5. c. parvuli, vel
 suspectus est de perjurio committendo. Sed an etiam
 spurius? Neg. cum infamiâ non laboret, & si quid for-
 san ipsi maculae ex illegitimâ nativitate adhærere cre-
 damus, illud non proprio, sed alieno potius parentum
 scil. vitio contractum, adeoque minùs ipsi imputandum
 est. vid. Covarruv. pract. quest. c. 19. n. 6. Menoch. de
 arbitr. judic. cas. 464. n. 17. & seqq.

THESIS IV.

NUm verò illi demùm, cui de negotio ex sensu cor-
 poreo constat, hoc juramentum deferri debeat,
 D contro-

controverti solet? Communiter hoc affirmant Dd. Mascard. de probat. concl. 410. n. 21. Mynsing. cap. 1. obs. 13. Menoch. Arbitr. Qu. c. 19. n. 5. seqq. quos sequitur Brunnem. proc. Jur. 23. Unde in causis status negant deferri posse juramentum suppletorium. Negat Carpz. I. 23. 12. atque sufficere putat, si quis rei notitiam habeat ex credulitate, quæ sententia si non verior, saltem æquitati magis conveniens videtur, cum primis in illis negotiis, quæ difficilius sunt probationis, veluti quando de consanguinitate, vel filiatione agitur, maxime quod ipsi testes, quibus probare intendimus, de credulitate deponere possint ob difficultatem hujus probationis, cum itaque actor, vel reus per juramentum suppleat vicem unius testis, neque etiam in ipso alia, quam quæ in teste requiritur scientia ex naturâ surrogari per c. Eccles. 3. x. ut lite pend. Carpz. d. l. Berlich. 1. concl. 54. distinguit inter causam filiationis, & consanguinitatis, in illâ negat n. 27. in hac affirmat deferri posse juramentum suppletorium, cum utique exacta consanguinitatis dari possit notitia num. 78. Sed neque hæc nisi ex credulitate sciri potest, Umm. disp. 14. n. 91. qui tamen & ipse dubius est, an juramentum hoc casu deferri possit.

THESIS V.

NON minus dubium est, an ad partis tantum instantiam sic deferendum? Jure Saxontico expressè definitum est, quod etiam Judex illud ex officio deferre possit per constit. 23. §. Vier lassen uns dießfalls ic. id quod etiam de Jure Civili verius est per l. 31. ff. de Jurej. Fachinæus l. 1. controu. c. 16. & seq. Berlich p. 1. concl. 53. n. 41. Gail. 1. obs. 108. qui hanc sententiam æquiores, & in Camerâ receptam testatur. Dissentit Ant. Fab. Cod.

Cod. l. 4. t. 1. def. 8. Mascard. de probat. concl. 956. n. 46. & seqq. Neque obstat, quod iudex non nisi imploratus impertiatur officium suum, *l. 4. § 8. ff. de damn. infect.* quod intelligendum de eo casu, ubi nullus omnino est actor. Aliter *Gail. d. obs.* qui sufficere dicit partem ab initio implorasse iudicis officium per clausulam generalem, quæ plerumq; libellis in fine instar herbæ bethonicae annecti solet. Imò quod iudex necessario hoc iuramentum deferre teneatur, si negotii qualitas illud requirit, satis *l. 3. C. de Jurej.* innuere videtur, ubi oportet necessitatem involvit *l. 37. ff. de V. S.* quicquid etiam in contrarium hîc afferatur, neque enim negotium aliter decidi potest, nisi mediante hoc iuramento. Proinde si iudex illud non deferat appellare licet, *Carpz. p. 1. c. 23. df. 2. Mev. p. 3. dec. 17.* Aliud dicendum, si ex certis causæ, vel personæ circumstantiis iuramentum iudex deferre non possit. *Berlich. d. concl. n. 55.* Interim consultò agere litigantem si iuramentum sibi deferri petat, *Zmsfall Er seine intention nicht vollkômlich bewiesen haben solte tenet Umm. disp. 14. n. 76.* Imò suadent nonnulli, ut illud faciat cum protestatione ad hoc, ut, si iudex, insuper habitâ petitione, pronunciet, litem suam faciat. Neque dici potest hac petitione quem suspectum sese reddere, quia petit id, quod iudex deferre tenetur per *l. 3. C. de Jurej.*

THESIS VI.

QUùm itaque Iudex ex officio hoc iuramentum deferre possit, inquirendum ulterius quousque illud ipsi liceat! Certè non dubitamus, quin etiam post conclusionem causæ id ipsum deferre queat, cum ante scire non possit, an illo sit opus. *Gail. d. obs. num. 5.*

D 2

A par.

A parte autem non nisi ante conclusionem in causâ delationem hujus juramenti peti posse, communis est opinio, teste Gail. *princ. d. obs.* quia post illam omnibus probationibus renunciatum, & partibus os clausum esse censetur. Id. *ibid.* idque fieri potest in utrâque instantiâ, quamvis quoad appellationis instantiam dissentire videatur Jus Canon. in Clem. *ult. de testib.* eo quod omnes probationes, & testes ab eâ removeat. Sed illud factum est propter metum subornationis, diversa est ratio in juramento suppletorio.

THESIS VII.

Sed quid si terminus probatorius elapsus sit, utrûm adhuc pars ad juramentum suppletorium admittenda, *Qu.* Distingui solet inter terminum simpliciter, & universaliter per omne genus probationis assignatum. Quoad illum, si elapsus fuerit, salvam adhuc esse dicunt petitionem hujus juramenti, quoad hunc negat Berlich. *p. 1. concl. 53. n. 62.* & *Od.* communiter secuti Jasonem ad *l. 31. ff. de Jurej. n. 319.* Sed rectius etiam hoc casu pars admittenda videtur ad juramentum suppletorium, cum generalis illa dispositio non nisi de veris probationibus intelligenda videatur, *Umm. disp. 19. n. 99.* ast juramentum non est vera probatio, sed potius ab onere probandi relevatio *l. 30. ff. de Jurejur.* Aliter tamen statuendum, si de contrariâ judicis mente expressè constet. *Umm. d. l.*

THESIS IIX.

Illud verò notandum est, quod pars adversa debeat citari ad videndum deferri juramentum necessarium, secus enim nihil agitur, quia requiritur causæ cognitio *l. 3. C. de Jurejur.* quæ, parte alterâ absente commodè fieri

feri non potest, Berlich. 1. *concl.* 53. *num.* 64. Gail. *d. obs.*
num. 8. qui tamen monet illud in Camera non observari.

THESIS XI.

Modus deferendi juramentum suppletorium duplex
est. Defertur enim vel per interlocutoriam; hâc
ratione: Wollen und mögen Klägere einen Eyd zu
Gott dem Allmächtigen / und auf das heilige Evangelium
schweren / daß die in Actis angezogene 600. Gulden Titio an-
gewiesen / und zu geschrieben / aber niemahls entrichtet worden /
als solches gehöret / und Sie thun dasselb oder nicht / soll in der
Sache ferner ergehen / was recht ist. vel in ipsâ definitivâ
hoc modo: Würden Klägere mit einem Eide in supplemen-
tum erhalten / daß Sie Titio die 600. Gulden geliehen / massent
Ihnen solches oblieget / so wäre Titius dieselbe nebst dem In-
teresse zu zahlen schuldig / Carpz. 1. *Const.* 23. *def.* 1.

THESIS X.

Proprium est huic juramento quod referri non pos-
sit, sed necessario ei, cui delatum, præstandum sit. Ne-
que enim adversario referri potest, quia ille non de-
tulit, neque etiam judici, quia de re judicis non agitur. Pe-
rez. ad *C. b.* Neque exigi potest juramentum calumniæ,
non à parte, quia ab eâ juramentum suppletorium non
est delatum, minus à judice, qui calumniari non præsu-
mitur *l. 1. 2. ff. quod met. caus. l. 18. ff. judic. solv.* diversum
est in juramento judiciali. Quamvis verò hoc juramen-
tum recusari, nisi quis causâ suâ cadere velit *c. ult. x. de
Jurejur.* Carpzov. *art.* 2. *num.* 88. vel remitti non possit
per *l. 3. C. de Jurejur.* ex justâ tamen causâ à Judice revo-
cari potest, veluti si postea cognoscat eum, cui juramen-

tum delatum, esse personam levem, inhonestam, vel a-
lias minus habilem juxta Berlich. *l. concl. 53. num. 67.* ob
perjurium, quod ab ejusmodi personam metuendum.
Umm. disp. 14. num. 102.

THESIS XI.

DE objecto hujus juramenti cap. præced. egimus.
Quoad formam ejus nil interesse videtur, utrum
quis sibi, an illi cui de jure debeat, illud deferri pe-
tat, cum judex etiam ex officio hoc juramentum deferre
possit, quamvis sint qui præcisè personaliter id peten-
dum velint, ex falso supposito, quasi judex non nisi ad
partis instantiam hoc ipsum deferre possit, quod supra
refutavimus. Finis est ut confirmetur intentio jurantis,
hactenus non sufficienter probata.

THESIS XII.

EFFECTUS est ut inde sequatur sententia vel condem-
natoria, vel absolutoria, per illam reus actori con-
demnatur, per hanc verò absolvitur. Jason *ad l. 31.*
ff. de Jurej. Quæ omninò transit in rem judicatam, se-
cùs enim dicendum foret, inde neque absolutionem, ne-
que condemnationem sequi, nullam inde dari actio-
nem, vel executionem, quippe quæ fieri non potest, nisi
sententia in rem judicatam transierit *l. 1. c. de exec. rei*
jud. & quis hæc ratione causam decidi putaverit *in d. l. 3.*
c. de Jurej. cum sententia semper maneat in suspenso,
Neque obstat quod hæc sententia per nova instrumenta
semper impugnari possit, cum hoc etiam fiat in senten-
tiâ ex falsis instrumentis latâ, quam tamen propterea in
rem judicatam non transiisse minùs rectè quis dixerit,
secùs enim rescindi non posset. vid. *Umm. disp. 14. n. 104.*
Datur.

Datur itaque inde actio iudicati, & quidem directa, cum
iudex non solum ob iuramentum praestitum, sed etiam
ob probationem factam iudicet. *d. l. 31. ff. & l. 3. C. de
Iurejur.*

THESIS XIII.

HActenus de Consentaneis Iuramenti suppletorii.
Paucis adhuc de Contrariis, & quibus modis illud
impugnetur, dispiciendum. Fieri autem hoc so-
let duplici modo (1. per appellationem (2. per retracta-
tionem. Et quidem a iuramento hoc, postquam id
alteri litigantium a iudice injunctum est, ab eo contra
quem delatum, statim appellari potest, imò quod etiam
post decendum, si pars adversa ad iurandum parata sit,
a praestatione iuramenti appellari liceat, singulariter
notat, idque in Camerâ receptum testatur, Mynsing.
1. obs. 39. quod nec ratione destituitur, cum & alias hoc
iuramentum retractabile sit. *l. 31. ff. de Iurej.* Sed quid si
iuramentum praestitum? Adhuc appellari potest, vid.
Mynsing. *2. obs. 14.* qui ita in Camerâ decisum refert.
Obstare videtur *l. 12. C. de Iurejur.* Sed Resp. in *d. 1x.* agi de
Iuramento Judiciali, quod vel inde apparet, quia dici-
tur iuramentum referri posse.

THESIS XIV.

Denique retractari potest hoc iuramentum per in-
strumenta de novo reperta, *l. 31. ff. de Iurej.* quo
ipso iterum differt a iuramento judiciali, hoc enim,
cum habeat vim transactionis, praetextu novi instru-
menti rescindi non potest *l. 9. C. de transaction.* Fieri
autem debet haec retractatio, uti dictum, per instru-
menta, non vero per testes per *d. l. 31. ff. de Iurej.* ubi
quod

quod folis &c. & quidem talia, quæ sunt de novo reperta; hinc ea producens jurare debet, se ante notitiam eorum non habuisse, neque illa jam primùm confici curasse *c. pastoralis x. de exceptionib. c. presentium x. de testib.* Neque obstat *l. ult. C. si ex fals. instr. jud. fuer.* ubi evidentes requiri videntur probationes ab eo, qui se nova instrumenta reperisse dicit, cum hic textus non agat de instrumentis noviter repertis, sed de crimine falsi, quod intentatum ob falsa instrumenta secundum quæ sententia lata est; cum itaque crimen falsi, sit criminale, rectè etiam in eo probationes omni luce clariores desiderantur. *l. ult. C. de probat.*

THESIS XV.

NUm verò hæc retractatio ipso Jure, an demùm ope restitutionis competat non conveniunt inter se. Dd. Prius affirmat Mev. *1. dec. 23.* Berlich. *1. concl. 53. n. 82.* supponendo, sententiam ex juramentò necessariò latam nunquam transire in rem judicatam, inde illam quasi nullam restitutione non indigere; sed malè, quemadmodum supra probavimus. Placet itaque posterior sententia, quæ quidem non satis fundamenti habere videtur in *l. 31. ff. de jurejur.* ubi nonnulli volunt causam ex integro agere idem esse, quod præviâ restitutione agere *l. 2. C. si ex fals. instrum.* Saltim hîc terminus ambiguus est, qui æquè facilè de *παλινδικία*, ceu advertit ibid. Gothofr. quam de restitutione in integrum explicari potest, nisi *d. l. 2. C.* interpretari velimus ex *l. 33. de rejud.* atque hæc firmiùs pro nostrâ opinione concludere videtur; cum enim ibidem sententia ex falsis instrumentis lata non nisi per restitutionem impugnari

gnari possit, quid obstat quo minus idem de sententiâ ex juramento necessario latâ, quæ prætextu falsi impugnatur, ex pari ratione statuamus? vid. Perez. ad C. de Jurejur. n. 34. Forſan dixeris in d. l. 33. ideò ſententiâ difficilius reſcindi, quia lata eſt ex veris probationibus, diverſam verò eſſe rationem in caſu præſenti, ubi ſententiâ ex fictis ſaltem probationibus eſt lata: ſed hoc falſum, neque enim ob fictas ſolùm, ſed etiam ob alias probationes hîc judicatum eſt. l. 31. ff. C. l. 3. C. de Jurejur.

THEſIS XVI.

Satisjam de hoc effectu. Nunc denique etiam de Saltero, cujus initio hujus capituli mentionem fecimus, agendum eſſet, ſed cum eum diſtinctè pertractaverit Berlich. l. concl. 36. n. 126. plura illis addere ſuper vacuum ducimus. Hæc itaque de præſenti materiâ pro inſtituti noſtri ratione hac vice dixiſſe ſufficiat.

Deo verò Ter Opt. atque Max. gratias devotiſſimas agimus, qui ut etiam in poſterum conatibus noſtris quàm clementiſſimè aſſeſſe velit ex animo precamur.



E

COROL:

✻ ✻ ✻
COROLLARIA.

I.

Bonæ fidei Possessor ante litis contestationem omnes lucratur fructus tam naturales, quàm industriales.

II.

Servitus altiùs tollendi est diversa à servitute altiùs non tollendi species.

III.

Usufructuarius accuratè loquendo rem ne quidem naturaliter possidet.

IV.

Justè & bonâ fide possidere differunt.

V.

Actio ad Palinodiam cum actione injuriarum civili, vel criminali conjungi potest.

VI. Re-

VI.

Retorsio injuriarum in Jure civili
fundamentum non habet.

VII.

In l. 8. C. de revoc. don. Causæ si-
miles, vel majores non excluduntur.

IIIX.

Qu. an filius, qui testamentum, in
quo præteritus, vivo adhuc patre, ap-
probavit, illud nihilominus de rigore
Juris Civilis impugnare, & nullum
dicere possit? Affirm.

IX.

Donatio inter Virum, & Uxorem
morte confirmatur, etiam si res tradi-
ta non sit.

X.

Substitutio vulgaris non tollit
sui tatem vel effectus ejus.

XI.

Qu. an filius repudiare possit he-
reditatem patris retentâ legitimâ,
Neg.

E 2

XII.

XII.

Electio Imperatoris, uno alterove ad eam non vocato, hoc ipso irrita non est.

XIII.

Malè statuunt qui per Capitulationem demùm jura imperii ad Imperatorem devenire putant.

XIV.

Vicariis Imperii, cognitio de feudis majoribus per Auream Bullam denegata non est.

XV.

Vicariis Imperii, tempore Vicariatus, ea tantum per Auream Bullam competere, quæ in eadem expressa sunt, justæ interpretationis ratio suadet.

XVI.

Illatio in matriculam non pertinet ad Status qualitatem essentialem, sed accidentalem.

XVII.

XVII.

A Jure Suffragii in Comitibus ad
Statum Imperii argumentum valet
affirmativè & negativè.

XVIII.

Qu. an feudum ex pacto & provi-
dentiâ retineri possit, repudiatâ here-
ditate? Distingv.

XIX.

Qu. an feudum novum ex pacto
& providentiâ, Domino consentien-
te, alienatum à filio revocari possit?
Neg.

XX.

Filii feudum antiquum à Patre
consensu Domini alienatum revoca-
re non possunt.

XXI.

In lineâ collateralis in feudo in in-
finitum usque succeditur.

XXII.

Legitima titulo institutionis re-

E 3

lin-

linqui debet etiam de Jure Cano-
nico.

XXIII.

Qu, an mulier non certiorata,
juramento renuncians Sc. Vellejano
Jure Canonico teneatur? Neg.

XXIV.

Neque hoc Jure Magistratus in eâ
causâ, quæ ordinario Jure ad ipsum
spectat, arbiter esse potest.

F I N I S.





Docendo, femiplena quid
probatio,
Plenè Tuam eruditionem
comprobes.

Quid ergo mirum, docta si de

Te cohors

Nunc illicò bonam ferat senten-

tiam?

*Gratulabundus
apposuit
cum appreciatione
felicitum successuum
Lmç.*

NICOL, CHRISTOPH. LYNCKER,
J.C. Præses.

Nobilissimo & Consultissimo
V I R O,
DN. HERMAN. VORTMAN,
Jurium Doctorando Præcellenti,

cum Is

Intricatum de SEMIPLIENIS PROBATIONIBUS
Ipunctum

dexterrimè evolutum edidisset,
idque ad plausum Auditorii splendidissimi fuisset
tuitus,

INCREMENTA & ORNAMENTA
devotè prec.

* * * *

JURE quod accipias sacratæ **JURA Tiare.**
J Non *semi-* ast *plenè*, Numine dante, *probas.*

*Optimi, atque de Hildesii quâ sacra, quâ
civilia, præclarè meriti Parentis Unico
Imque fac.*

GEORG. GOEZIUS,

Past. Jenens. Prim. Consistor. Ducal.
Isnac, & Jenens. Assesf. Super.
General.

*Am colligit messor suam spem maximam,
Insigne scilicet Dei munusculum,
Repleta cernas undiquaque hoc horrea.
Tu seduli, Vortmanne, functus munere
Messoris, ampla fers laboris premia,
Beatus hic labor majori Numinis
Posthac tegatur gratia, conatibus
Cunctis amœnas adferat Numen majus.*

De optimè meritis honoribus Nobiliss.
Dn. Doctorando Vortmanno
animitus gratulor

PETRUS Müller / D. P. P.

Cunctaris frustra; fallis nec fronte legentes:
Plena hæc ingenii sunt documenta tui.

*Gratulabundus
scrib.*

JO. PHILIPPUS SLEVOGTIUS, D.

Quid TIBI contulerit faulrix natura, probasti
Quidque tenax præstet sedulitatis amor.
Plena videt morum Themis *argumenta* proborum,

Mobile quæ vulgus *dimidiata* refert.
Plena seges surget virtutum è semine, cujus,
Ominor, in patriæ commoda messor eris.

J. A. Schmidt / P. P.

Ann schau't man Sions = Berg in grünen
Wohlfeynstejn/
D Asträens EhrenBurg darf nie ihr Pracht
vergehen;

Ja alles / Stadt und Land / haucht lauter An-
muth an /

Wenn man der Weißheit ist vor andern zu
gethan.

Was künfte nicht Athen hie durch zu wege bringen?
Wie? muste nicht sein Ruhm biß an die Sternen
dringen?

Und was O! edles Rom! hat dich so groß ge-
macht?

Ist es die Weißheit nicht / darauf du stets ge-
dacht?

Du liebste Baters = Stadt must selbst ja befehen /
Daß nechst dem Himmel Sie sey auch dein Schatz
zu nennen:

Durch feuer = reiche Lieb zu ihren Anmuths =
Trohn

Hastu so lange Jahr den Frieden noch zu
Lohn.

Und wer kan anderst dier denn Glück und Heil an-
deuten?

(Obwohl uns sehr erschreckt der Unfern dieser Zei-
ten)

Weil deiner Kinder Zahl der Weisheit sich
ergiebt (Zweck liebt.

Uñ als den höchsten Preis zum güldnen End:
Echau unser Saal-Äthen kan alles diß bezeugen:
Den/wie sie sich bißher zu Jhr mit Hauffen neigen/
Und um den Purpur-Huth vergießen sauren
Schweiß;

Also umarme sie bekröhet durch ihren Fleiß.

Herr Wortman ist gewiß Ästräens Tier zu
nennen/

Wovon Minerva muß sambt ihren Volck befehen/
Daß Er für andern sey gedien zu ihren Sohn:
Ästräa beut Ihm dar die höchste Ehren=
Prohn.

Nachdem Er untersucht durch fleißig-kluges sinnen/
Was nur von Heimlichkeit auf ihres Tempels-Zin=
nen/

Was von gelahrter Schrift gestellt Justinian/
Was Alt' und Neue sonst in Rechten zugethan.

Er steigt begeistert schon hinauf die Ehren = Sin=
nen/

Und hintertreibt geschickt dasselbe scharffe Sinnen/
So das zu hemmen sucht/ was sein gelahrter
Keil (Theil.

Kurz zu Papier gebracht/ und vielen wird zu
Ja

Ja schau'! o Vater-Stadt! wie Er in höchsten
Ehren/
Mit Ruhm und Lob geweiht ist will zu dir einkeh-
ren;
Glück zu! geehrt'ster Freund! zu dem er-
worbnen Lohn!
O! liebste Vatters-Stadt! Glück zu zu dei-
nen Sohn!


Mit diesen wolten ihre Schuldigkeit
glückwünschend abstatten

des Herrn Doctorandi

Sämtliche alhier Studierende
Landes = Leute.








(X2256771)

ULB Halle
005 132 509

3



VB17







B.I.G.

Farbkarte #13

g. b. num. 23.
~~XIX~~
E. 22.

22

1693, 16^a

B. V.

LENIS
ONIBVS,

ate
VM ORDINIS

I D E
XCELLENTISSIMO
ISTOPHORO
ERO,

stätt & Rötshau/
ario Saxo - Vinar. Intimo
Facultatis Jurid. Scabinatus,
fessore Primario,

PROMOTORE

tiã colendo
ENTIA
honores, ac Privilegia

uendi
Juridico
vetis

NO M.DC.XCIII.

it
RTMAN, Hildesf.

HENRICI MÜLLERI.



500

